QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. MENSIS IANVARII,

MAGISTRO HERMANO DE LAVNAY, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

662.

An ex vultu, partium, totiúsque temperies?

NVLLA est rerum quæ naturæ limitibus continentur quæ non formâ constet atque materiâ. Hanc generationum αὐτομάτως γνομένων πανσπερμίαν disponit præuius calor cœlestis vnicus, ab Elementari vitalique, necnon & febrili indistinctus, mistionis omnis principium atque geniture διαπλάσεως. Ex elementorũ materiâ suum quidque corpus mutuatur, ex quorũ quatuor miscibili congressu, & primarũ quoque qualitatum amico coitu, cuique mixto debita toti aut partibus κράσις enascitur: æqualisne adamussim? quidni? at longè sæpius inæqualis, cùm vna tantùm, quod rarum est, aut gemina excedit qualitas. Inæqualis tẽperies quæ δυσκρασία est, ad tuendam animatorum omnium vitam, hominisque sanitatem conseruandam longè securior optabiliórque, quàm æqualis & ad pondus εὐκρασία.

HVMANI corporis sanitatem & χαρακτηρισμὸν constituunt ἀνομοιομερῶν quæ in plures à se dissimiles, & ὁμοιομερῶν partium, sibi vndequaque similium iusta temperies & conformatio. Pars est quicquid toti hærens & coniunctum ipsum complet integratque ad illius vsum functionémve dicatum: influentes spiritus, humores circumfluos quantumuis vtiles & conclusos, vt non viuens à viuente, sic à fixis insitisque animatis distinguimus. Caue pilos, vngues cum ἀψύχοις illis recenseas, nam verè partes sunt, licet non communis, sed propriæ vitæ participes: dissimilarium aliæ principes, hepar, cor, cerebrum cæterarum apex & syderationis impatiens (cuius gratiâ caput natura non condidit) ministræ reliquæ: annon ipsi quoque testiculi? Similares nobis duodecim; prædictæ scilicet duæ, cum decem vulgaribus.

SIMILARIVM partium atque hinc totius temperamentum efficit deciduæ à toto corpore parentis vtriusque genitalis materiæ, nec non ad hanc confluentis materni sanguinis proba temperies. Hanc congrua humorum quatuor ac priùs his primorum corporum symmetria. Spermaticarum omnium conformationem simul ac semel inchoat natiuus calor, successu perficit, qui & ipse temperaturæ soboles mox semini primùm accessuræ vegetantis animæ, ac deinde sentientis, demúmque rationalis ad quaslibet actiones instrumentum est futurus. At sæpe fit vt natiua cuiusque partis totiúsque temperies ἀπὸ τῶν ἐνεόντων καὶ τῶν ἔξωθεν, in alienam transeat; contrariam, nunquam vita superstite; siue quis ætatem diætámve mutet, aut ab Austro migret ad Boream. Quales intus succi tales postgenitæ seu naturales, siue contra naturam temperationes. Quæ ex humoribus toti ad iustitiam temperatio inerat, hæc, si accreuerint aut secreti alicubi constiterint, excanduerintque, immutata partis aut totius εὐκρασία abit in φλόγωσιν.

A Communibus & consectarijs temperaturarum animi moribus, humorum excessus, concordia depromuntur. Quâ in parte lucet actionum integritas ibi & humorum primarúmque qualitatum συμμετρία. Nec minus excreta substantia, quantitate, qualitate, partium vnde fluunt temperaturam arguunt: nam menstrui Pliniani κακοήθεια falsa est, aut prauam vteri διάθεσιν detegit, κακοχυμίας asseclam. At ex cute exactiùs quàm ex quouis vllo humorum legitur dominatus: huius enim color ni ἄμπωτις extiterit, redundanti succo persimilis, in toto licet corpore manifestò, nullibi tamen citiùs certiúsque quàm in vultu efflorescit. Qualis micat in fronte color, talis & in fonte humor delitescit. Qualis facies, tales mores. Sic πολυαιμίαν, μετριοπάθειαν rubicundus color enuntiat. Solam excedentem pituitam, ignauiam, ad discendum tarditatem, subalbidus. Flauam bilem ad quiduis audendum & ex quouis irascẽdum procliuitatem, flauus. Ater, metum, mœstitiam & melancholiam. Hanc permixtam pituitæ copiosiori connotat plumbeus, vt è contrà fuscus. Pituitam bili mixtam pallidus arguit, sanguini floridus: hunc bili flauæ mixtum, rufus; æruginosæ, ferrugineus denotat. Si tres simul emineant phœniceus, pituitæ, bilis & sanguinis præpollentium nuntius.

EST & vultus futurorum quoque morborum præsagus & interpres præsentium. Si arquatus niger incipiat, liuescit primùm facies: quæ flauescit in ictero. Si Elephas, cum liuore extuberat: quæ in leucophlegmatia pallet, tumet. Rubet in inflãmatis pulmonibus. Obscura marcescit in lienis scirrho. Cadauerosa fit in phthisi. Annon & testium carentiam, tabem, frigidam intemperiem glabra faciei cutis? veneres illegitimas pustulosa enuntiat? vis & cæterarum nosse iconem partium & characterismum in figura, mole & situ positum? en tibi vultus exhibet; faciei crassities, magnitudo τὰ περὶ ὄμφαλον καὶ τὸ ἧπαρ πάχος ἔχειν καὶ θερμότητα: magna, longa, lata frons, pectoris amplitudinẽ & contentorum feruorem enuntiat. Quid plura? partium analogiam sequitur næuorum corporis ex vultus obseruatione præsagiũ; & ex ore, labris, vuluæ amplitudo, angustia: naso, mentulæ breuitas, longitudo: genis, figura natium: oculis, amor veneris contemptúsve colliguntur.

Ergo ex vultu, partium, totiúsque temperies. 109

Proponebat Lutetiæ IACOBVS CORNVTY Parisinus, Anno R. S. H. M. D. CXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. IOANNES BERAVLT.	M. CLAVDIVS LIENART.	M. IACOBVS COVSINOT Decanus.
M. FRANCISCVS MANDAT.	M. RENATVS MOREAV.	M. PETRVS SEGVYN. M. & P. R.
M. FRANCISCVS QVIQVEBOEVF.	M. DIONYSIVS ALAIN.	M. PETRVS PIIARD.